

**Geoffroy, Stéphane-Louis - candidat /
Jussieu, Antoine de - président. - An
omne esculentum vegetabile culturâ
Salubrius ?**

1747.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi***

Cote : ms 2331 n°15

D. O. M.
QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-tertio
mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLVII.*

M. ANTONIO DE JUSSIEU, in supremo de re diplo-
maticâ Ministrorum Cœtu, à Consiliis & à Secretis Regiis, Re-
giæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Londi-
nensis & Berolinensis Socio, Botanices in Horto Regio Profes-
sore ac Demonstratore, Doctore Medico, Præside.

An omne esculentum vegetabile culturâ Salubrius?

I.



VEGETABILIIUM cohors, quam in classes, genera, species,
& varietates distinguimus, ad quadruplicem usum tota refertur:
nascuntur alia ad cibos, & vocantur esculenta; alia medicamini-
bus dicantur; apta sunt artibus plurima; cætera, quorum dotes
ignotæ sunt, experientiæ subjiciantur, & oculorum recreationi.
Quæ cibo, ut ea quæ sunt remediis propria, Medicum pariter
spectant, cum sani in homine statûs conservator, sicut ægri reparator existat.
Quanto igitur studio medicaminum examini incumbit, tanto ad eduliorum
vegetabilium delectus attendat, necesse est. Quo pacto autem saniora indicabit,
nisi singulas illorum culturæ artes theoreticè saltem noverit? Si agricolæ laborum
ignarus nesciat

*Quid faciat latus segetes, quo sidere terram
Vertere conveniat?*

*Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset?
Quâ mercede domandus ager?
Et quid molitur aratro?*

Si, cur in novalibus Rapa, Napus, Linum, Fagopyrum ferantur, ignoret;
nec teneat fieri, *ne segnes jaceant terræ, ut mutatis requiescant sætibz arva,*
& ut terra seminibus levioribus minùs exhausta, uberiori & pinguiori gravi-
orum proventui sit deinceps aptior. Itaque

Si nos digna manet divini gloria ruris,

Medicum sapientem nosse juvat, quid aër, quid imbres, quid terrarum dele-
ctus, quid irrigationes, quid fossiones, quid stercorationes ad cujuscumque
oleris salubritatem operantur, scire etiam nulli magis convenit,

*Quot arboribus . . .
Natura modos primùm dedit . . .
Quibus genus omne
Sylvarum fruticumque viret . . .*

Quâ Hortulanus arte Cerasa, Prunos, Amygdalum, Perficas, Mala, Pyros,
A

Virg.
Georg.

Virg.
Georg.

Virg.
Georg.



Castaneas, Aurantia, Limones, Citreum, cæterasque sativas arbores multiplicet; quid eis conferat

Georg.

. . . . *Modus inserere, atque oculos imponere simplex,*
 *Et quas ipse vias sibi repperit usus;*

Quid fructibus aprica, quid solaris arborum expositio afferat: quot variae ad uvarum excellentiam in vitibus cautiones & operæ requirantur.

I I.

P R I M Æ V O S inter homines fuerunt alii urbium, alii ruris incolæ; illi artibus & litteris, hi agrorum culturæ operam omnem navarunt: ex istis felicior qui *audacibus captis*

Georg.

Glandem pingui mutavit arisâ.

Non in solâ animantium ad victum vestitumque necessariorum, sed & in esculentorum vegetabilium educatione rusticam stetisse vitam arbitrati sunt. Nascentes sub sole suo plantas in sylvis, in montibus, in pratis, secus rivos, in paludibus, hortenses fecere: conquistis mutuo vicinorum commercio, & allatas è longinquo exoticas sibi familiares reddidere, suisque indigenis addidere. Sibi curâ multiplici natas suis & urbanorum civium mensis apposuerunt, ac eas singulis anni tempestatibus novis ferculis & dapibus ambitiosè decorarunt. His Antiquorum & recentibus Modernorum artibus pastoris suum pecus pinguioribus pabulis pascens vices agunt Agricola, Olitor, Hortulanus & Vinitor, quibus dices.

Georg.

Domitum cultoribus orbem.

Non infelix eis modò fimum, modò stercorationis, interdum marnæ usus, ut promptius æstuet ager optimus; non minùs fausta sabuli mixtio, ut lævius fiat solum; irrigationes frequentes profunt ut humescat arvum; terræ fossio, ut aeris virtute ac imbribus ex omni parte subigatur, & ut semina, sic fructus, sic oleorum multiplex genus, sic legumina varia

Georg.

*Indè occultas vires, & pabula terræ
 Pinguia concipiant.*

His faginata pabulis salubriora & magis grata fiunt; his pabulis pravi olerum quorundam affectus tolluntur; insipida saporem non injucundum contrahunt; plurium amarities, aliorum aciditas, & nonnullorum odor, sanitati quasi noxius, in dulcedinem & salubritatem immutantur; sicque feliciter

Georg.

Degenerant succos oblita priores.

Sic nativa sylvestrium frugum indoles corrigitur, & majori feliciorique nutrimento educatæ, comestæ sanitati favent.

I I I.

I N N U M E R A esculentorum vegetabilium genera, differentiæ plures:

Georg.

*Sed neque, quam multa species, nec nomina quæ sint
 Est numerus; neque enim numero comprehendere refert.*

Alia enim sani corporis nutriendi quotidiano usu omnibus notissima; alia ægris propria; alia urbanis, alia rusticis feliciora; alia quæ præparatione nonnullâ ad escam salubrem egent; quamplurima seminibus multiplicanda & renovanda quotannis; quædam indigena culturæ foli suam debent salubritatem; nonnulla acri & aromatico sapore suo condimentum minus sapidis præstant; tarda quædam arte variâ redduntur præcocia; singulæ anni tempestatibus sua sibi vindicant co-

medenda, suas ritè peragendis corporis ³ humani functionibus virtutes cultura quibuscumque præbet. Rem probant cultas inter radices nostras rurales & indigenas, *Pastinaca sylvestris*, *Daucus vulgaris* ex agrestibus & tenuioribus crassiores & magis suaves factæ; *Scorzonera latifolia*, & *Tragopogon porrifolium*, ex crassioribus tenuiores & gustu magis gratæ redditæ: inter plantas foliis singulares *Apium palustre* ex acriori dulce & esculentum redditum, ac dein alio nomine, *Celeri* nempè, nuncupatum: sic *Acetosa pratensis* longa dicta, *montana maxima* lata vocata, & *Lusitanica viminea* rotunda nuncupata, *Coronopus vulgaris* ex culturâ hortensis, *Valerianella campestris* edulis facta. Quid de *Cinarâ Baticâ* in obsoniis tam frequenti & tam lautâ, in agro Laudunensi monstrosâ redditâ; nec non de *Brassicâ proceriori* in maritimis nostris nascenti, apud Turonenses cultâ, & ita esculentâ, ut inter ferculorum delicias toto anno reponatur: *Pimpinella vulgaris*, *Cichorium sylvestre*, *Sedum teretifolium* inter refrigerantes plantas recensita, in hortenses & edules conversa; inter semina appetitum excitantia *Sinapi*; è fructibus tot Pyrorum, Malorum species ad palati delectationem ex insitis arboribus natæ; tam gratæ bacçæ ad sitim sedandam, ut *Grossularia*, *Berberis*, *Cerasa*, *Rubus*, & *Uvæ* ex labrucis ortæ; alias inter plantas integræ quædam ad escam salubres ut *Salicornia*, *Portulaca*, *Cithmum*, *Feniculum*, & ipsummet *Nasturtium aquaticum* secus rivulos prope Rothomagum culturâ redditum palato gratissimum, & formâ suâ ita parvum ut pro specie novâ haberetur, ibique *Cailli* dictum; è quibus singulis vegetabilibus fativis aliis, aliis domesticis, sunt quæ magis nutriunt, sunt quæ salivæ mixta masticationem juvant; alia quæ stomachali succo juncta digestioni favent, alia chylo puriori conficiendo inferviunt.

F V.

QUANTUM valeant ad plantarum edulium salubritatem variæ eas excolendi artes quis adhuc dubitet? Simile tamen ex animalium educatione exemplum deducere non abs re erit: hæc inter & illas constans analogia confirmat, non impar & generationis & vitæ nutritionisque principium.

Qui cultus habendo

Georg.

sic pecori pingtiori, similis comparandò olere exquisitiori supponatur; sicut armenta & nata in sylvis animalia fiunt educatione mensis aptiora, salubrioraque, sic gratior oleribus, Cichoriis, Brassicis, Porris, Cœpisque inditus sapor vigili olitorum curâ. Sicut ex negato in animalibus succi nervei ad organa generationis appulsu partes cæteræ fiunt ampliores pinguiorefque, quod ex bobus, capris, vervecibusque patet, ad escam aptioribus tauris, hircis & arietibus; & inter volatilia ex caponibus anteponeudis gallis gallinaceis: non aliter abscissâ ex arboribus ramorum exuberanti copiâ fructus eduntur crassiores & magis esculenti; sic in cerealibus dempto ampliori foliorum numero, culmorum & seminum vires & virtutes augentur; sic radices, sic folia olerum vulgarium retardato caulium ac florum proventu augentur & magis dulcescunt. Ut ex quadrupedum carnibus, fuillas non nisi faginas coqui eligunt; ut ex volatilibus, inclusas in columbariis turtures vagantibus columbis anteponunt; ut ex aquatilibus, pisces in vivariis educatos, fluviatilibus; ut caneros & astacos fluviatiles, iis qui in fontibus vivunt; ut ostrea septo collecta & faginata piscario, iis qui inter Fucos & Madreporas crescunt præcellere agnoscunt; sic in areis positas & superne ligatas lactucas, intybosque sponte nascentibus præferri vulgare est; sic vitreis cooperti campanis melones cucumeresque fiunt præcoces & meliores: sic Ananas cæteræque plantæ Indicæ hypocauftorum ope saporem patrio similem acquirunt: omnibus est labor impendendus. Sicut denique dùm pecus

Luxuriam segetum tenerâ depascit in herbâ

Georg.

4

pinguedine, lymphâ & carnibus augetur, sic vegetabilia firmis, irrigatione, ac variis pabulis educata opimis crassiora & esculenta magis redduntur. Eorum ultione quod avolat pars est maxima; residuum sive cineres, quorum pondus totius solidi vix centesimum æquat, minimum est; pars germini propria vel pro nihilo habenda, vel infinitè minima censenda. Neve quidquam animalium cum plantarum analogiæ desit, si ex illis non educata sapiunt magis nonnulla, ut Apri, Cuniculi, Perdices, agrestibus quoque quibusdam plantis, ut Fragis, nullam ea culturam poscere concedatur, nisi iis locis ubi deficient.

V.

QUERENTUR forsàn nonnulli naturæ vindices, eam mutatis vegetabilium speciebus alterari; quin artem geoponicam potiùs extollant, quæ his tantùm salubres saporum varietates addendo naturam ditat? Imò natas ex productis à culturarum seminibus species incultis omninò similes sapiùs agnoscent. V. G. ex Aurantiis, Citreis, Limonibus, Pyris, Malis, Prunis, ac Vite: Ne-vè addictis solo naturali virtutibus species has privari objiciant, ubi à vitæ & generationis simili principio, organisque animalium non ab similibus virtutes illas oriri noverint. Sicut enim in volatilibus & quadrupedibus pabulo vario sagineatis, diversus inest sapor, ità in vegetabilibus fimi ac culturæ diversitas diversum reddit eorum odorem & saporem. Sicut animalia pinguiora facta minùs facilè generant, sic valdè auctà Aurantiorum, Malorum, Pyrorum & Perficorum carne semina eorum fiunt cassà plerumque; sic dum læsæ ab insectorum punctationibus Ficus, aliique fructus citiùs maturescunt, fiuntque suaviores, tunc propagationi minùs apta redduntur eorum semina. Dubia jam non sit plantarum cum animalibus analogia, trachæis, pulmonum organo, parenchymatis & fibris, carne ossibusque paribus, medullarique substantiâ cor, cerebrum & præcipua animantium organa referente; humidum radices velut ora exfugere, vicinisque partibus nutriendis communicare jam compertum est, dum ex foliis hausta aeris, roris & pluviarum humiditas ad corticem, & ex cortice ad internam substantiam transvehitur, ubi mixta cum radicum succo, motum ipsi suscitatur, quo promovetur insensibilis perspiratio: par in serpentibus, insectis & cochleis terrestribus ac in arboribus per hyemem inedia absque vitæ discrimine; par & in plantis ac in animalibus sexus gemini hinc addenda observatio masculinum præsertim indicans, quâ cujuscumque grani fecundi pulveris è florum staminibus emissi vis elastica deprehenditur similis illi corpusculorum seu organorum spiralem nuper detectorum in Sepiæ spermate. Quid denique exilibus Polypis fluvialibus licèt divisus in partes plures, in totidem & paria insecta renascentibus, magis simile, quàm ab excisis arborum & arbutorum ramis plantatis vel insitis, integræ melioresque sapiùs reproductæ arbores: quis deinceps recensitas tot artes ad vegetabilium hominis nutritioni dicatarum salubritatem necessarias neget? Quis Medico earum ignaro ignoscet, eumque damnorum ab incauto inculturarum plantarum esu ortorum insontem arbitretur?

Ergò omne esculentum vegetabile culturâ Salubrius.

Proponebat Parisiis STEPHANUS-LUDOVICUS GEOFFROY,
Parisius, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1747, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1747.